

IN ANONYMI SALERNITANI
PARALIPOMENA
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

MEminerit Lector, sibi ante oculos jam versatum fuisse *Anonymum Salernitanum*, in Tomo nempe antecedente Secundo pag. 281. curâ meâ recusum, & ampla jadidudum Praefatione ornatum a Cl. Viro Camillo Peregrinio, qui eum primus tenebris eruptum in palaestram Literatorum eduxit. Sed simul quisque meminerit, non universam illius Historiam, sed excerpta tantum, ac frusta fuisse ab eodem Peregrino evulgata. Mirabar ego hominis consilium, qui non doctrina minus quam ingenio subacto illustris, in animum induxerit, laceratum potius, quam integrum nobis exhibere vetustissimum Scriptorem, Scriptorem nimurum Decimi a Christo nato Seculi. Immo, ne quid dissimulem, paene Peregrinio vitio dabam, quod quum Langobardicam veterem Historiam sibi illustrandam sumisset, nihil moratus Italicorum Historicorum per ea tempora penuriam, & contemta Eruditiorum siti, tantam Salernitanae hujusmodi Historiae partem deperire, sciens, ac volens, sivisset, unde instituto suo accessio non levis fieri potuisse. Et ille quidem, ut vir plane sagax, meas quamquam tunc nondum nati, immo & ceterorum hac de re querelas praesensisse ac praeoccupasse videtur. Audi quid ille habeat in Praefationis suae calce ad *Anonymum ipsum*, de quo nunc agimus, pag. 286. Tom II. Collectionis hujus: *Si quis vero, inquit, a me petet, cur subscriptas potius, quam alias ejusdem Historiae partes evulgaverim, videat is quaeſo, an petitioni tunc suac satisficerem, quando non has, sed alias, nec tamen integrum Historiam, edidisse;* quam sane provinciam ejusdem *Anonymi* civibus jure relinquendam putavi. Ita is, & procul dubio ludens, quo interrogationem, simulque vota nostra eluderet.

Itaque mihi in id sollicite intento, ut quaecumque medii aevi Italica monumenta supersunt, congeram, nihil antiquius fuit, quam ubique magna animi contentionе rimari, petere, ac instare, quo mihi tandem, ac universae Reipublicae integrum *Anonymi Salernitani* Historiam compararem. Potissimum vero Neapolitanos Cives aliquot doctrinae gloria praestantes, quorum in me studium ac benevolentiam senseram toties, diu precibus paene in hac re defatigaram; quum ecce mihi opem tulit Clarissimus Vir *Nicolaus Carminius Falco*, Neapolitanae Urbis illustre ornamentum, quem Theologiae, Jurisprudentiae, & Graecarum Latinarumque literarum eruditio jam celebrem fecit, ac celebriorem etiam effectura est, ubi nobilem Dionis Cassii Historiam, cuius hucusque tres posteriores tantum Libros paene in vitam revocavit, ac edidit, integrum nobis ac illustratam dabit, pro ut ipse sperare nos facit. Is inquam, vix meam de reperiendo, simulque evulgando Anonymo Salernitano sollicitudinem audivit, quum sponte, ut est non minus disciplinarum copia, quam humanitate praestans, & publicae utilitatis amantissimum, mihi antigraphum obtulit, ac describendum permisit. Erant autem Peregrinio Historiae hujus exempla duo in Codicibus ex vulgari papyro compactis, neque tamen antiqua, utpote ex altero Frecciano, & ne ipso quidem vetusto, expressa. Vaticana quoque Bibliotheca, & Columnensis, & Aniciana in Urbe, ejusdem Historiae Codices adservare dicuntur. Mihi igitur Clariss. Falco alterum exemplum procuravit, quod est penes doctissimum ac piissimum P. D. Eustachium Caracciolum Clericum Regularem, cuius postremum decus est ex nobilissimis Marchionibus Torellae originem traxisse, & cui peculiare studium fuit congerere quidquid antiquitas ministrare potest ad cognoscendam potissimum Neapolitani Regni Historiam. Et quidem in isto quoque exemplo omnia occurserant, quae Peregrinus se in Frecciano conspexisse fatebatur, nisi quod Amanniensis, quo ego sum usus, antiquis Freccianis exempli sphalmatis sua etiam

Tom. II. Par. II.

M 2

suc-